



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispvatio XXI. De Ineffabilitate, & nominibus Dei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

V. Quo pacto nonnulli exponant Concilium.

Vasquez prima parte, disp. 52. sect. 2. negat esse de fide, Deum esse incomprehensibilem: ad Concilium autem Lateranense, & Patres ait, solum voluisse, Deum esse incomprehensibilem in hac vita, aut viribus naturæ, parum autem curasse, potuerint Deus comprehendi supernaturaliter, & de potentia absolutâ: sicut ibidem dicitur ineffabilis, & tamen de Deo loqui possunt, & loquantur Sancti.

VI. Non satisfactio hac responsio circa mentem Concilii.

At sanè quamvis hæc responsio pro sanctis Patribus atque sufficiat, cum ut plurimum disputent contra Anomæos, quorum error, ut supra vidimus, erat, Deum posse naturæ viribus clarè videri, imò & comprehendi: insuper etiam addebant, se de facto Deum tam perfectè nôsse, quam ipse nôset seipsum: in quos hoc nomine acerrimè invehantur Patres, præcipuè S. Chrysostomus, quinque de incomprehensibili Dei naturâ contra eos Homiliis scriptis.

VII.

Hæc verò Concilio Lateranensi nullo modo applicari possunt; non enim agebat contra Anomæos,

sed fidem, quæque de Deo credenda erant, absolutè tradebat. Alioqui, cum Concilium ibidem dicat, Deum esse incommutabilem, posset quis exponere, esse solum incommutabilem viribus naturæ, sicut hi Auctores exponunt eum hoc tantum modo esse incomprehensibilem; quod vel cogitare nefas est, ut apud omnes est in confesso. Quo sensu autem Deus dicatur ineffabilis, dicitur Disp. sequente.

Concilium Lateranense non agebat contra Anomæos.

VIII.

Temerarium est, imò parum fidei confonum, dicere Deum non esse incomprehensibilem.

Ut ergo aperiam, quid hæc de re sentiam: existimo imprimis, temerarium saltem esse, negare Deum esse incomprehensibilem, ob doctorum scilicet id afferentium auctoritatem. Addo, probabilius videri, esse de fide eum esse incomprehensibilem, tum ob definitionem illam Concilii Lateranensis; tum quia, ut ait Suarez hic, lib. 2. cap. 5. n. 6. constans hæc & conspirans est, longâ jam annorum serie, omnium Theologorum consensio, qui locum illum Concilii hoc modo interpretantur. Accedit, S. Athanasium, & alios Patres, inde Spiritus Sancti Divinitatem ostendere, quod Deum comprehendat.

## DISPUTATIO XXI.

### De Ineffabilitate, & Nominibus Dei.

#### SECTIO PRIMA.

##### An, & quomodo Deus sit Ineffabilis.

I. Quo pacto Deus sit ineffabilis, etiam de eo frequentissimè loquuntur.

**R**ATIO dubitandi est; cum enim de nulla re frequentius, quam de Deo loquamur, variisque eum nominibus appellemus (unde S. Dionysius librum integrum de Divinis nominibus exaravit, Patresque omnes & Theologi plena de Deo volumina scripserunt) hæc, inquam, cum ita sint, quo pacto dici potest Deus ineffabilis? Quare S. Augustinus lib. 1. de Doctr. Christianâ, cap. 6. Non, inquit, ineffabilis est dicendus Deus, quia hoc eum dicitur, aliquid dicitur, & sit nescio que pugna verborum, quoniam si illud est ineffabile, quod dici non potest, non est ineffabile, quod, vel ineffabile dici potest. Quam verborum pugnam silentio potius pacandam esse ait, quam voce.

S. Augustinus.

II. Deus verò ac propriè est ineffabilis.

Nihilominus dicendum, Deum in vero & proprio sensu esse ineffabilem. Probatur primò, dicto illo Concilii Lateranensis quod Disp. præcedente, num. quarto attulimus: ubi expressè habetur, Deum esse ineffabilem. Unde, ut ait S. Augustinus, Facilius dicimus quid non sit Deus, quam quid sit. Et in Psalmum 84. quàm difficile sit de Deo loqui, declarans; Quid, inquit, queris, ut ascendat in linguam, quod in cor hominis non ascendit? Quare ab omnibus celebratur dictum illud Platonis, & Trismegisti; Deum intelligere difficile est, loqui autem impossibile.

III. Vocius ostenditur Dei ineffabilitatem.

Hinc Gen. 32. v. 29. dicitur, Cur queris nomen meum? & Prov. 30. v. 4. Quod nomen est ejus, & quod nomen filii ejus, si nescis? Huc alludebat factum illud veterum Judæorum, qui, ut refert S. Damascenus, Dei nomen propriis notis exarantes, vocem ita supprimebant, ut genuina ejus pronuntiatio venerit in oblivionem, hominesque in præsentem penitus lateat. Hinc etiam, ut latius ostendi Disp. 12.

Metaph. sect. 2. lege cautum erat apud antiquos, teste Platone, nequis inquireret quid Deus esset, sed illius excellentias, ob summam earum sublimitatem, admirandas potius dicebant, & sacro quodam silentio obtegendas, quàm ut quisquam illud declarare niteretur, cui nulla par inveniri oratio posset.

Quid circa sermones de Deo ab antiquis olim fuerit sanctum.

Præcipua verò hoc loco difficultas est, utrum imponi nomen aliquod, seu vox externa ad placitum significativa possit, quæ Deum quidditative significet, seu, quod eodem recidit, quæ in audiente quidditative Dei cognitionem excitet: significationis enim verborum mensura quoad majorem vel minorem claritatem, non à loquente, sed ab audiente defendendam esse ostendi Disp. 42. Logicæ, sect. 6. & septimâ.

IV. Præcipua hæc in re difficultas.

Dux hæc in re, oppositæ sunt sententiæ. Prima est, posse tum à beatis, tum à viatoribus imponi nomen quod Deum quidditative significet. Ita Scotus in 1. d. 22. q. unicâ, Gabriel ibidem, a. 2. concl. 3. Vasquez 1. p. Disp. 57. Molina hic, q. 13. a. 1. Disp. 2. Quam etiam sententiam ex parte tenet Halensis 1. p. q. 48. memb. 1. Durandus in 1. d. 22. q. 1. Valentia hic, Granada 1. p. tract. 5. d. 1. sect. 2. & alii, dicentes, posse à beatis, non tamen à viatoribus, hujusmodi nomen imponi.

V. Prima sententia ait, posse imponi nomen quidditative significans Deum.

Secunda sententia è contrario affirmat, nullum hujusmodi nomen, neque à viatoribus, nec à beatis, imponi posse. Ita Suarez hic, lib. 2. de Attrib. cap. 31. num. 10. 15. & 18. Zumel, Bannez, & alii.

VI. Secunda sententia negat.

Prima Conclusio: non viatores tantum, sed neque beati, imò nec Deus ipse imponere sibi nomen potest, quod eum viatoribus quidditative significet. Ratio est clara: cum enim, ut Disp. illâ 42. Logicæ citatâ ostendi, significare, sit rei alicujus notitiam in audientis mente generare, excitando scilicet species per quas rei illius conceptus & cognitio formetur, manifestum est, nullum nomen posse Deum viatoribus clarè & quidditative significare,

VII. Nullum nomen potest Deum quidditative significare viatoribus.

utpote qui claras Dei species, aliaque ad intuitivam & quidditativam Dei cognitionem efficiendam non habent.

VIII. *Possunt homines per voces, res varias Angelis quidditative signifi-  
ficari.*

Secunda Conclusio: Possunt homines per voces à se institutas, res, tum spirituales, tum corporeas, quidditative, imò & comprehensivè Angelis significare. Hanc Conclusionem negat Suarez citatus, qui universum docet, non posse vocem significativam ad placitum, rem ullam intuitivè cuiquam aut quidditative, sed obscurè tantum & imperfectè significare; nec enim, inquit, vox clariùs audienti rem significare potest, quàm imponens intelligat.

IX. *Vox ad placitum significativa, excitarè potest species intuitivas.*

Contrarium tamen existimo probabilius, & ad illud P. Suarii fundamentum fusè respondi Disp. 42. Log. sect. 6. & 7. ostenditque, vocem significativam ad placitum, posse cognitionem, speciebus, quas in audiente invenit, proportionatam progignere, & cum causà perfectiori perfectiorem, non per accidens, sed per se producere effectum. Unde si Joannes alicui ex supremis Angelis nominet Petrum, aut unum quempiam ex infimis Angelis, poterit supremus ille Angelus ad quidditativam, imò & comprehensivam Petri, & infimi illius Angeli notitiam ex vi hujus vocis excitari.

X. *Imponi nequit nomen, quod Deum ulli significet quidditative.*

Tertia Conclusio: Hoc tamen non obstante, existimo, non posse vel à viatoribus, vel beatis nomen Deo imponi, quod eum ulli omnino, etiam beatis, quidditative significet. Unde hoc sensu Deus est ineffabilis. Est contra Auctores primæ sententiæ num. 5. relatos, & P. Arriagam hic, Disp. 14. num. 2. & 3. ubi non à Beatis tantum, sed etiam à viatoribus nomen Deo imponi posse affirmat, quod cum quidditative significet. Ratio conclusionis est, quia visio beatifica (quæ sola esse potest cognitio quidditativa Dei) non procedit ab habitu, vel specie arbitrio nostro subjectis, & quibus, sicuti aliis speciebus & habitibus, uti possumus pro libito, sed omnino necessariò fluit à lumine gloriæ & specie increatâ, quam proinde intermittere nunquam potest beatus, sicque excitari per vocem aliquam nequit, aut per signum ad placitum.

*Ratio est, quia visio beatifica est necessaria, & nequit intermitteri.*

XI. *Ad significationem requiritur, ut vox excitet cognitionem quam quis non habet.*

Dices primò cum P. Arriaga citato: ad hoc ut vox cuiquam significet, non esse opus, ut in eo excitet cognitionem, quam audiens non habet rei per eam significatæ: sicut, inquit, licet actu cogitem de Rege, si tamen quis mecum de eo loquatur, illumque mihi nominet, vox illa, Regem mihi significat. Respondetur tamen negando antecedens; si enim antea habebat cognitionem quidditativam alicujus rei, & vox hæc nec illam, nec aliam quidditativam illius cognitionem excitet, manifestum videtur, non significare rem illam quidditative, nullum quippe habet hujusmodi effectum.

XII. *Beati, audito nomine Deum, ad nomen illud circa Deum excitantur, sed non quidditativum.*

Ad illud de Rege dico, vocem Rex à loquente prolatam, stante priore cognitione de Rege, novum in audiente actum & attentionem circa Regem excitare, sicque nil mirum si Regem ei significet. Unde, idem etiam hic existimo de beato; si enim ei quis nominet Deum, novum circa Deum actum eliciet, non tamen quidditativum, sed extra verbum, & inferioris ordinis. Deinde, per hunc eundem actum reflexè cognitum, novit, rem per vocem Deum significatam, illi objecto esse conformem, quod videt intuitivè: hic tamen novus actus, nec intuitiva Dei cognitio est, nec quidditativa. Et per hæc patet ad id quod respondet Vasquez citatus, Disp. illà 57. num. 2.

XIII. *Res visio producitur deper-*

Aliter respondet Fasolus num. 15. ait enim in primo instante beatitudinis, posse ex occasione hujus vocis Deum in aère formatæ, & à Petro ex. gr. audita, posse, inquam, Deum dependenter ab hac

voce à Petro perceptâ, visionem beatificam primò in ejus animâ producere, quam alioqui statuisset non producere: ergo in hoc casu vox Deum à Petro intellecta excitabit eum ad videndum Deum, & quidditativum de illo conceptum eliciendum. Negatur tamen consequentia: ad hoc enim ut vox aliqua externa ad actum intellectus excitet, debet id ex vi significationis præstare, ita ut connaturalis quædam subordinatio inter actum auditus, quo vox illa percipitur, & actum intellectus inde orti intercedat, non ut sit conditio merè extrinseca, ut hic contingit: Deus namque, sicut ad hanc vocem Deum, visionem beatificam in hoc casu producit, ita pari ratione, si vellet, producere illam posset ad vocem formica, simili modo in aère formatam; ergo vox formica significare posset Deum quidditative, quod nemo dicit.

*denter à voce Deum, hæc tamen non significaret beato Deum.*  
*Quid ad res alicujus significationem propriè requiratur.*

Hic ergo primus modus est quo Deus est ineffabilis; nempe, quod nulla vox dari possit, quæ quidditativam ejus cognitionem in audiente excitet, ut jam declaratum est; quamvis imperfecto quodam modo de eo loquamur, variaque ad eum, ejusque perfectiones exprimendas nomina formemus, de quibus sect. sequente. Alio modo Deus est ineffabilis, quasi extensive, quod nimirum per quantumvis longum & prolixum sermonem, etiam in infinitum protensum, natura ejus & excellentia pro dignitate declarari nunquam possit, omnesque ejus perfectiones explicari. Quo sensu dixit S. Leo Serm. quarto de Passione: *Divina considerationis materia, ex eo quod ineffabilis est, sancti tribuit facultatem, nec potest deficere, quod dicatur, dum non potest esse satis, quod dicitur.*

XIV. *Deus duobus modis est ineffabilis, intensivè, & extensivè.*

SECTIO SECUNDA:

De variis nominibus Dei.

QUÆRES primò, Utrum quædam nomina de Deo dicantur propriè? Notandum, ly *Propriè* duobus modis accipi, vel prout opponitur Metaphorico, sicut cum Deus dicitur *Leo*, *Agnus*, *Lapis angularis* &c. vel quod non dicit aliquid cum creaturis commune, qualia non sunt nomina *Sapientia*, *Misericordia*, *Iusti* &c. hæc quippe, non Deo tantum, sed Angelis etiam, & hominibus conveniunt. Dico itaque, utroque modo nomina quædam de Deo affirmari propriè; quæ enim perfectiones Deo intrinsecas denotant, propriè illi, & non metaphoricè competunt: illa etiam nomina, quæ singulares Dei excellentias important, qualia sunt nomen *Deus*, *Trinitas* &c. ita Deo propria sunt, ut creaturis omnino non conveniant. Hæc verò nomina, *Omnipotens*, *Omniscius*, *Incomprehensibilis*, & similia, utroque modo de Deo propriè dicuntur, & prout proprium opponitur Metaphorico, & prout dicit aliquid cum creaturis non commune.

I. *Propriè duo nomina dicuntur.*

*Utroque modo nomina quædam de Deo dicuntur propriè.*

Quæres secundò: Utrum aliqua nomina dicantur de Deo substantialiter? Respondeo affirmative, illa nimirum omnia, quæ prædicatum aliquod Deo intrinsecum significant: quicquid enim in Deo est, substantiale est, in quo nimirum, ut supra ostensum est, nulla sunt, vel esse possunt accidentia.

II. *Nomina quædam de Deo dicuntur substantialiter.*

Quæres tertio: Utrum è contra nomina quædam de Deo dicantur accidentaliter. Accidentaliter sumitur dupliciter: primò, ut idem sit quod contingenter; & hoc sensu, actus omnes liberi Deum dominantur accidentaliter, cum illos potuerit non habere. Alio modo & magis propriè, dicitur accidentale id, quod alicui advenit, realiter ab illo distinguitur.

III. *Duo genera Nominum Dei accidentalium.*

distinctum, quale nihil in Deo reperitur. Unde nomina accidentalia solummodo proveniunt Deo à rebus ei extrinsecis, ut est Nomen, seu Denominatio Creatoris, Redemptoris, Domini, Iudicis, Remuneratoris &c. si sumantur in actu secundo, & pro virtute exercitâ; si enim sumantur in actu primo, seu pro potentiâ creandi, remunerandi &c. sunt nomina substantialia, juxta dicta numero præcedente.

Varia Dei Nomina accidentalia.

IV. Omnia Dei nomina non sunt synonyma.

Quæres quartò: Utrùm omnia Dei nomina sint Synonyma? Respondetur negativè, maxime in nostrâ sententia, qui supra disp. 4. sect. 2. diximus nec Essentiam in Attributis, nec Attributa in Essentiâ, nec unum Attributum in alio formaliter includi, imò & unum Attributum posse, etiam objectivè, ab alio præcindi. Unde licet à parte rei omnia realiter sint idem, cum tamen nomina iis imponantur, non ut sunt in re, sed prout substant diversis conceptibus, & hi nunc unum Attributum representent, nunc aliud in sententiâ præcisiones objectivas admittente, aut totum concipiant in ordine ad diversâ connotata, in alterâ sententiâ, sicut conceptus objectivi non sunt synonymi, ita nec forma-

les, ac proinde neque nomina, quæ ad conceptus formales consequuntur.

Quæres quintò: Utrùm nomen aliquod imponi possit Deo & creaturis commune univocè; seu, quod eodem recidit, utrùm dentur prædicata quædam univoca, abstracta à Deo & creaturis? Quæstionis hujus resolutio ab iis pendet, quæ in dialecticâ tradi solent, de Analogiâ Entis. Cum ergo ibi Disp. 40. sect. 3. dixerim, solam transcendentium constituere Analogiam, sequitur, præter unum prædicatum Entis, reliqua omnia, ut Substantia, Viventis, Spiritus, &c. Deo cum creaturis communia, esse univoca, & consequenter nomina hos conceptus exprimentia erunt similiter univoca.

V. Multa Deo & creaturis sunt communia univocè.

Præ aliis Dei Nominibus, tria à sanctis Patribus maxime celebrantur, Deus, Qui est, & Nomen illud Tetragrammaton; quod, quo pacto pronuncian- dum sit, est incertum, licet vulgò Iehova dici soleat. Hæc tria, simul cum aliis Dei Nominibus, declarat S. Hieronymus Epist. 136. S. Thomas etiam hic, q. 13. a. 8. 9. 10. & 11. tria ista Nomina inter se comparat, & de iis fuse disputat. Sed hæc pro instituto nostro sufficiunt.

VI. Tria præcipua Dei Nomina.

# DISPUTATIO XXII.

## De Scientia Dei.

**H**ACTENVS de Attributis negativis dictum est, & quid Deus non sit potius, quam quid sit declaravimus. Nunc ergo Divina Natura penitius inspicienda, positivæque ejus perfectiones ac proprietates declarande. Hæc porro ut plurimum numerantur tres, Scientia, Voluntas, & Potentia, ad quas veluti ad fontes & origines, cætera omnia reducuntur. De his proinde, eâ, qua per rerum gravitatem fas est, brevitate, suo ordine agemus.

### SECTIO PRIMA.

#### Utrùm in Deo sit Scientia.

I. Et si de naturalibus lumine constat dari in Deo Scientiam.



SCIENTIAM Deo quisquis denegat, mundi oculum extinguit, cæcòque omnia casui, ac temeritati, stolidâ fatuitate exponit. Hanc itaque in Deo reperiri, & Fides docet, & lumine naturali demonstratur: eâdem quippe claritate & certitudine quâ constat Numen esse, quod Universum hoc creet ac gubernet, constat etiam Scientiâ eum & Sipientiâ esse instructum, sine qua nimirum nec rebus hisce prospicere, nec ullum prudentis moderatoris obire munus potest.

II. Ratio est, quia Deus res varias Scientiâ præditas producit, estq; in se Ens omnium perfectissimum.

Probatur primò: Deus namque res intellectu & scientiâ præditas producit: quis ergo sanæ mentis eum his carere asseret? Ratio verò à priori est: Deus siquidem Entium omnium Ens est nobilissimum & perfectissimum; ergo omnis in eo reperiri debet perfectio sine imperfectione, seu simpliciter simplex, ut loquuntur Theologi: sed intelligere & scire sunt perfectiones, quæ nullam in se involvunt imperfectionem: ergo. Quare appositè ad rem hanc S. Augustinus in illa verba Psalmi; Dominus scit cogitationes hominum: Non habet, inquit, unde audiat, qui tibi fecit unde audias? Ipse non scit qui te

fecit scire? Et, si tu nescis cogitationes Dei, quoniam justæ sunt, ille tamen scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt.

Clarissimè veritatem hanc variis locis testatur Scriptura: sic Job 21. v. 22. dicitur: Nunquid Deum docebit quisquam scientiam? Item Ecclesiastici 23. v. 28. Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem: circumspicientes omnes vias hominum, & profundum Abyssî, &c. Tandem, hæc & alia uno verbo complectens Apostolus exclamat: O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, &c.

III. Deum habere scientiam, sæpe testatur Scriptura.

Quare tanquam delirium rejiciendum est somnium illud Averrois, afferentis, Deum creaturarum scientiam non habere, ne scilicet ex rerum vilissimarum conspectu vilesceret divinus intellectus. Sed hoc, ut dixi, est aperte contra lumen naturæ: quid enim magis absolum, quàm auctorem ac moderatorem Universi cæcum constituere: maxime, cum apud omnes in confesso sit, Opus naturæ esse opus Intelligentiæ.

IV. Male de Scientia Dei loquitur Averroës.

Quare, dum S. Hieronymus in cap. 1. Abacus, Deo indignum esse affirmat, tantam Majestatem ad hoc deducere, ut sciat per momenta singula, quot nascuntur, quot moriantur culices, & alia hujusmodi: solum vult, non habere Deum scientiam illam præcticam, seu specialem curam, & providentiam, circa res hæcæ, quam habet de hominibus, quos ordinat ac dirigit ad finem supernaturalem. Quo sensu dixerat antea Apostolus: Nunquid de bobus cura est

V. Explicatio dicti ceteri- dam S. Hieronymi circa Dei scientiam.

1. ad Cor. 9. v. 9.